

Lothariensem sic dictum a confinio Saxoniae appellat. (t) Godofredus Guilielmus LEIBNITIUS (u) conjicit, aut ex Lotharingia venisse in Galliam Hugonem, verbaque de confinio Saxoniae addita velut ad conciliationem cum recepta de Saxonica origine sententia pertinere. *Etsi enim*, pergit Leibniti-
tius, Lotharingia hodie non habeatur confinis Saxoniae, olim tamen fuit, quan-
do haec non Ostfalos tantum sed & Angarios & Westfalos comprehendebat, &
nunc quoque circulus Westfalicus longe porrigitur. Ut taceam Gallorum quo-
rundam more omne Francia Orientalis seu Germania Regnum, inde ab Otto-
num temporibus Saxoniae nomine designatum, ut Glabro & Wilhelmo Gemeti-
censi, qui Henricum III. Regem filium facit Cononis Saxonum ducis, Conra-
dum Salicum intelligens. At vero quamvis haec erudite objici posse video
 tamen exemplo rem carere arbitror, eo tempore homines in Lotharingia
 natos inde cognominatos esse, aut saltem Lotharienses fuisse dictos. Ego
 verba de Saxoniae confinio rectius explicari posse puto, si dixerimus Hu-
 gonem in Lutteræ sive Lotharii monte, qui olim vel in ipso comitatu
 Blankenburgico situs vel eidem proxime adjectus fuit, vulgo *Luterberg*
 fuisse natum. Adeoque Lothariensis a confinio Saxoniae recte dici po-
 tuit Hugo. Ut alia loca mittam, quæ in Saxoniam a Lothario aut Luttera
 nomen habent, quæque rectius Hugoni a natalitio nomen quam regnum
 Lotharii dare potuerunt, quæque in confinio Saxoniae sita non inepte
 dicuntur.

Neque obstat mihi auctoritas veteris codicis Aquicinctensis, qui
 Hugonem ex Iprensi territorio ortum dicit. Joh. MABILLONIUS quidem
 eum his verbis adductus Belgicis scriptoribus annumerat, cui Henricus
 MEIBOMIUS in scripto de Hugonis patria objicit: Hugonem in Hamersle-
 biensii monasterio tyronem egisse, neque videri probabile, aliquem no-
 bilem Iprensium missum esse illo tempore in devastatæ Saxoniae ignobile
 tum monasterium. At vero dabo Hugonem ex Iprensi territorio or-
 tum, num inde Belgam Flandrumve fuisse cum Mabilione concludamus?
 Minime. Iprensis enim territorium illud ipsum est, quod vel Lothariam
 sive Lotharii aut Lutteræ montem olim complexa est, vel eidem proxi-
 me adjuncta fuit. (x) Itaque Iprensis licet & Lothariensis recte dicatur
 Hugo, Saxonem tamen non fuisse minime sequitur.

Hartman-

(t) v. LEIBNITII præfat. ad Albericum pl. 1. fol. 4. p. 1.

(u) In præfatione citata pl. 2. fol. 1. p. 2.

(x) v. Joh. LEZNERI Chronica Dasselensis & Eimbeccensis L. IV. c. XVI.